



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

XIV. Markgraf Ludwig d. Römer schenkt dem Kloster Zehdenick eine jährliche Rente aus Dalgen auf Bitten Marquards Lauterbach, am 31. März 1359.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54745](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54745)

pluribus fide dignis. Datum nova Brandenborch, Anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio, in die Cathedre Beati Petri Apostoli gloriosi.

Gumblinger Urfundensammlung Mspt. III, 2. S. 276.

XIV. Markgraf Ludwig d. Römer schenkt dem Kloster Zehdenick eine jährliche Rente aus Dalgen auf Bitten Marquards Lauterbach, am 31. März 1359.

Noverint universi tenorem presentium inspecturi, quod nos Ludovicus Romanus, dei gratia marchio Brandenburgensis et Lusatie, sacri Romani imperii archicamerarius, comes palatinus Reni et Bavarie dux, nostro et fratris nostri carissimi Ottonis nomine in honorem et reverentiam omnipotentis dei, genitricis ipsius beatissime virginis Marie et omnium sanctorum nec non in remedium salutare animarum progenitorum nostrorum ac predecessorum, olim marchionum Brandenburgensium, nostre, heredum et successorum nostrorum et etiam ad instantem requisitionem fidelis nostri dilecti militis et consilii Marquardi Luterbeck donavimus solempniter et donamus cenobio et claustro, abbatisse, priorisse et toti conventui sanctimonialium in Czedenik proprietatem duorum frustorum annuorum reddituum, que cedunt de quatuor mansis suis in finibus et metis ville Dalgen, nominatis vulgariter Wegershoven, cum omni jure, usu, utilitate, fructibus, redditibus, honoribus, commodis et pertinentiis singulis et universis, quibus dicti mansi ad nos hactenus pertinebant, volentes, quod dicti mansi ad jus et proprietatem dicti claustrum, abbatisse et conventus proprietatis mero et pleno jure perpetue debeant pertinere. Due tamen filie dicti Marquardi, sanctimoniales in dicto claustro existentes, quamdiu vixerint, redditus et proventus dictorum mansorum percipere debebunt sine omni obstatione et contradictione dictarum abbatisse, priorisse et totius conventus, que pro tempore fuerint, et solum ipsos redditus in utilitatem et necessitatem propriam dicte sanctimoniales filie ejusdem Marquardi convertere poterint et debebunt, et post obitum ipsarum dicti mansi ad conventum, mensam conventus predicti perpetue permanebunt, renunciantes pro nobis, fratre nostro predicto et nostrorum amborum heredibus omni juri, quod nobis et ipsis quoad eandem proprietatem in dictis duobus fructis competit vel competere poterit in futurum. In cujus rei evidentiam sigillum nostrum presentibus est appensum presentibus strenuis viris: Petro de Bredow, magistro camere nostre, Johanne de Rochow, curie nostre iudice, militibus, Henrico de Schulenborgk, Gunczelino de Bertensleben, Wedegone de Wedel, Nicolao Bismark cum pluribus fide dignis. Datum et actum Havelberghe, anno a nativitate domini millesimo tricentesimo quinquagesimo nono, die dominico Letare Jherusalem.

Nach dem Original im Brandenburger Dom-Archiv aus Hesslers Abschrift.